



17
1.
29
2
1
178
1.
2
3.
4.



Pri. 15. Jun. 54.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

12

RETENTIONE
IN DEPOSITO
LICITA

1744, 4.

QVAM

CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA VARNIACA
SVB PRAESIDIO

DN. MATTHIAE BENONI HERING,
IVR. VTR. DOCT. ATQVE PROF. COD. DVC.
PVBL. ORD. ET AD H. A. PRO-DECANI

FAVTOVIS AC PROMOTORIS SVI MAXIME COLENDI
PRO LICENTIA

SVMMVM IN VTROQVE IVRE GRADVM
CAPESSENDI

DIE MAJI A. MDCCXLI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

GEORGIVS CHRISTOPHORVS
SCHOTTER
ROSTOCHIENSIS.

KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVITALLE

ROSTOCHII, LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI,
SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

DISSELTATIO IN AVOVRAHIS IVRIBUS
DE

REVENTIONE
IN DEPOSITO
LITTA

CONSENSU MAGNIFICI Rectorum Ordinis
in Ecclesia


DOM. MATTHIAS BEKON HERING
Rectoris V. R. Doct. V. R. Prof. Cod. Duc.
Lectoris et Bibliothecarii

PRO LICENTIA
SVMMAE IN VTROQUE IURE C. S. D. M.

MADE AMBOGEE
PUBLICO ERUDITIONIS EXAMINI


GEORGIVS CHRISTOPHORVS

SCHOTTER
ROSTOCKIENSIS



ROSTOCKIENSIS





PRAEFAMEN.



Examine rigeroso legitime
peracto, ab amplissima fa-
cultate Iuridica data mihi
fuit copia, conscribendi
Dissertationem Inaugura-
lem; sed anxius diu fluctua-
vi, quamnam praecipue juris materiam hu-
ic seligerem. Post varios animi fluctus tan-
dem mecum constitui, missis quæ theoriae
maxime inserviunt, materiam aliqualem
practicam pertractare, & DE RETENTI-
ONE IN DEPOSITO LICITA, quaedam
in medium proferre. Brevitati enim stude-

bo, & duabus Sectionibus omnem absolvam tractationem, ita ut in priori retentionis generalia in posteriori vero, depositi retentionem in specie, pro virium mearum tenuitate, explicavero. D. vero T. O. M. exiguum huncce laborem ad felicem perducatur finem.

SECTIO I.
DE
RETENTIONE IN
GENERE.

§. I.

*Affrenate
& inique
jugandi li-
bidines o-
beduntur.*

Refrigescere fere omnes inter mortales, suum cuique sponte tribuendi studio, ac moribus huius quod vivimus seculi corruptis, ubi virtus laudatur & alget: ipsa efflagitavit necessitas, ut de Remediis cogitarent Legislatores, quibus istiusmodi in devia ruentibus, & frena mordentibus, obexponeretur, ne alias morosi melioris redderentur conditionis debitores, quam creditores quibus sat prompta fuit, proximum in necessitate constitutum, adjuvandi voluntas. Quid enim in quotidiana frequentius est praxi, quam illum, licet optimo jure subnixam habeat actionem, nihillosecius per longos demum anfractus suum ab altero consequi posse, ac quasi multis molestiis, magnisque redimere debere sumptibus; quandoquidem numerus eorum non reperitur imminutus, qui singulari quadam astutia & specioso verbo-

sunt

rum lenocinio aliquem ad credendum inducere, artificiose didicerunt; at ubi id, quod datum, repetitur, tunc non minore calliditate petentem remorari sciunt, imo plane remove, obmovendo exceptiones longe quaesitas, & parum aut nihil ad rem facientes, nullum non movent lapidem, litem, si modo possent, in aeternitatem usque producturi.

§. II.

Ad has itaque effrenatas, juxta ac aequitate carentes ^{Ad illas tem-} omni, jurgandi libidines temperandas, restringendasque, ^{porandas va-} varia quidem in jure prodita sunt remedia, quibus iis sup- ^{ria compe-} petitae feruntur, qui curae cordique habent, suum quidem ^{zunt juris re-} cuique tribuere; verum qui etiam desiderant, & recte, ut ^{media, inu-} alter regulam juris naturalis non migret: Quod tibi non ^{primis vero} vis fieri, alteri ne feceris. Nolumus tamen horum reme- ^{Retentione.} diorum amplum pertexere catalogum, utpote quod nos- tra non fert instituti ratio; sed unum dumtaxat remedi- um retentionis, & quidem in quantum hoc in deposito quoque licitum, paulo ulterius rimari, per quod creditor faciliori ad suum consequendum pervenire potest via, nec opus habet actionem instituere, verum melius sibi confa- lit, si illam ab altero motam expectat, & sic partes rei semper favorabiles sustinet L. 125 D. de R. J.

§. III.

Proverbium quoddam vulgo circumfertur: In ma- ^{Vulgarium} nibus ist gut latein. Et profecto, si dicendum quod res ^{illud prover-} est, hoc non abluat a veritate, modo sensus illius certis ^{bium; in ma-} circumscribatur limitibus, & sic justo longius haud exten- ^{nibus ist gut} datur. Latet autem sub illo jus retentionis, quod merito ^{latein expli-} convenientissimum dixeris remedium pro creditoribus, ^{catur & ad} praestat enim securitatem crediti instar pignoris L. 31. §. ^{Retentionis} 3. D. de Aedil. Edict. efficitque ut quis citius faciliusque ^{remedium} suum consequi valeat ME V. P. II. Dec. 26. & ad Jus Lu- ^{applicatur.} bec.

hoc, Lib. I. Tit. V. art. 13. n. 45. nec opus habeat difficilibus processibus ambagibus se immiscere, sed rem tamdiu retinere possit, donec ei de debito satisfactum L. 26. §. 4. D. de Cond. Indeb. & quæ sunt reliqua insignia commoda huic remedio annexa, in quibus recensendis nobis remoram injici non patimur, quoniam nobis non est animus jus retentionis quoad omnes casus perustrare; verum generalia quædam tantummodo adducere, per quæ via quasi ad thema nostrum de Retentione in deposito licita, sternitur, & quæ ei præmittenda erant omnino.

§. IV.

*Retentionis
descriptio
suppeditatur*

Et ita quidem ordo vulgo ab omnibus disputationem conscribentibus observatus, nunc postulare, ut vocabula in rubro occurrentia, ratione originis & varii significatus enuclearemus; verum quia hæc per se clara, & homonymiam retentionis partim investigavit LAVTERBACH. in *Disp. de Retentione ib. 1.* hinc ne nos reos faciamus, aliquid de charta in papyrum transfuisse, verbosæ explanationi vocum immorari plane superfedemus, adducturi tantummodo descriptionem juris retentionis in deposito licitæ. Describimus autem illud hunc in modum: *Quod sit remedium legitimum, vi cuius depositarius rem apud se depositam, certis concurrentibus circumstantiis, tamdiu in securitatem retinet, donec a deponente sibi de credito sit satisfactum.* Non quidem ignoramus, ab aliis aliter describi retentionem, & quas descriptiones adductas videas in modo cit. *Disp.* sed harum tamen examen aliis relinquimus, & quædam solummodo adhuc adjicimus, ex quibus mens nostra evadit clarior.

§. V.

*Data descriptio
ulterioris
explicatur.*

Adhibuimus in descriptione loco generis: *Remedium*, quo vocabulo etiam usus est LAUTERB. in *c. Disp.* quoniam illud varias particulares ideas sub se complectitur, nam non remedia solum vocantur, quæ a medicis in

in curandis morbis adhibentur; sed quoque sub hoc vocabulo comprehenduntur, omnia adminicula in jure proposita, quibus quis suum persequi potest, adeo ut & jus jurandum vocetur maximum remedium expediendarum litium *L. I. D. de Jurejur.* Deinde adjecimus remedium legitimum, ut indicarem, non promiscue quemque hoc uti posse remedio, sed illos tantum qui jure permittente eo sibi prospicere intendunt. Porro insinuavimus quoque, nobis duntaxat hic esse sermonem de depositario, quod nempe ei, positis certis requisitis, hoc remedium haud sit denegandum; nam sine discrimine hoc jus ipsi adscribi non potest. Tandem nec finis a nobis neglectus, qui in securitate crediti consistit, quia melius est, intacta sibi jura servare, quam post vulneratam causam remedium quaerere *l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necess.* Certo igitur persuasi sumus, fore, ut ex hac nostra data explanatione sat eluceat quamquam de re firmus acturi.

§. VI.

Quandoquidem vero asseruimus, retentionem fieri propitio jure; ergo ante omnia nunc dispiciendum: quo jure illa nitatur? Et respondetur: tam jure naturali quam civili. Quod attinet ad prius, longa uti deductione plane supervacaneum autumamus. Postquam enim a communione negativa discessum, & rerum dominia introducta sunt, et quilibet res sibi ita proprias habere incepit, ut alterum usu hujus rei excluderet, *exceptis solummodo inexhausti usus rebus, quas in Dominio esse nulla jussit necessitas, nec non rebus nihil ad vitam conservandam suaviterque traducendam pertinentibus, in pristina communione negativa permanentibus* uti scribit *Cel. HEINECCIUS in Elem. Jur. Nat. & Gent. Lib. I. §. 235.* Etiam per consequentiam saepe accidit, quod quis aliqua destituatur re, qua abundat alter, ac sic eum rogare necesse habet, ut suae hac in parte consulat egestati, promittendo se postea vel rem eandem, vel similem vel

*Retentionis
remedium in
jure Nat. jus
datum esse
probat.*

vel aestimationem quoque justo ac certo redditurum tempore; At si hic accipiens ingratus sit cuculus atque sui immemor promissi, tunc tantum abest, ut creditor contra aequitatem peccet naturalem, si res sui debitoris, quæ ab ipso possidentur, retineat, ut potius hoc juri naturali sit, quam convenientissimum. Nam sicuti unusquisque ad sui ipsius conservationem natura obligatur, & ad hanc etiam spectant media absque quibus vita conservari & suaviter traduci non potest; sic ex inde manifestum est, hominem de acquirendis opibus sollicitum esse debere, nec bona, quæ sibi vitæ servandæ suaviterque traducendæ causa vindicavit, alteri gratis relinquere cogi, sed quovis potius licito modo persequi posse.

§. VII.

*Objectiones
resolvuntur.*

Nec obstat: Quod quilibet ex lege naturali sit obstrictus, alterius promovere felicitatem, imo & interdum cum suo detrimento, quod nomine beneficiorum venit. Nam distinguendum est inter obligationem internam & externam; illa dicitur quatenus spectatur in conscientia; hæc autem quatenus spectatur inter homines, adeoque effectum quandam juris inter eos sortitur Vid. Cel. WOLFII *Jus Naturæ Cap. III. § 656.* ubi exemplum de dandis elemosinis subjecit. Porro nec confundenda obligatio perfecta & imperfecta, hæc enim posterior tantum pertinet ad officia humanitatis, & ad quæ tibi exhibenda alterum cogere non potes, sed ipsius conscientiae relinquere debes, nisi libertatem naturalem tollere velis. Hinc licet officia humanitatis maxime alterius promoveant perfectionem felicitatemque, deficiente tamen jure cogendi, debitor ea, quæ ex officio humanitatis sub certa conditione in illum collata, restituere detrectans, nullam in hac regula juris naturalis invenit præsidium, sed creditor, casu obveniente, recte tunc exercet jus retentionis.

§. VIII.

§. VIII.

Ex his itaque dictis, vel nobis tacentibus, satis a-
 pricatur, longe aliter sentiendum esse de illo casu, si quis
 alteri sine spe restitutionis aut retributionis aliquid prae-
 stiterit, unde beneficentia & officiositas, quae nihil aliud
 est, quam studium & promptitudo alteri ea cum obligatio-
 ne restitutionis & compensationis praestandi, quae ipsi
 profunt, probe a se invicem sunt separandae conf. Cel.
 HEINECC. *Elem. Jur. N. et G. Lib. I. §. 222.* Quamquam
 non negandum, officium humanitatis, perfectae induere
 obligationis naturam, in illo, qui hoc ab altero sub spe
 restitutionis vel compensationis obtinuit. Sic. v. gr. nemo
 negaverit, esse officium humanitatis, si quis mihi peten-
 ti certam mutuo det pecuniae summam, qua ego maxi-
 me indigeo; verum & me tunc perfecte esse obligatum
 ad illam restituendam, iterum nemo non intelligit; &
 hoc eo magis, quoniam pecuniam, mutuo dans, ex sola
 humanitate meo annuit petito, ego vero ex jure perfecto,
 nam pacta sunt servanda, ipsi obligor, ac ita notam non
 ingratiissimi solum incurrerem animi, si huic meo deessem
 promisso, sed alteri jus quaesitum auferrem. Quare hoc
 in casu ne opus quidem distinctione, inter ingratitudinem
 simplicem & praegnantem, quasi in illa non, bene tamen
 in hac jus retentionis locum inveniret; quandoquidem
 uti paulo ante jam affirmavimus, in accipiente propter
 pactum adjectum, perfecta reperitur obligatio, & sic exu-
 lare debet obiectio: propter ingratitudinem simplicem
 aliquem actione forensi conveniri non posse, & conse-
 quenter adversus eum nec jus retentionis exerceri.

*Quid statu-
endum de
officiis hu-
manitatis.*

§. IX.

Hoc remedium deinde quoque in jure civili esse
 fundatum, omnes inter constat, quia plus aequitatis ha-
 bere jus retentionis, cum per aequitatem, defensionis exer-
 catur, *Et in jure
civili jus re-
tentionis
fundatum
est.*

B

ceatur, quam actionem, asseritur l. 5. §. 2. & l. 12. D. de Doli mali & met. except. CARPZOV. P. III. Dec. 269. n. 37. quare nec probatione indiget apud illos, qui leges a sapientissimis Romanorum legislatoribus, circa jus retentionis latis, exploratas habent. Nam, casus inveniuntur multi, in quibus hoc jus permissum. Sic v. gr. marito retentio conceditur ob impensas necessarias in dotem factas in L. 5. D. de Impens. in res dotal. fact. Vxori vel viduæ in bonis mariti, donec illi de eo quod ex bonis mariti debetur, satisfactum L. un. C. de Rei Vxor. act. Creditori in pignore etiam propter chirographariam pecuniam L. un. C. etiam ob chirogr. pec. Cetera, Qui plura desiderat exempla, illum humaniter ablegamus ad LAVTERBACH. Disp. de Retent.

§. X.

Objectiones
quedam
contra re-
tentiois a-
quitatem
in censurur.

Postquam itaque evictum dedimus, jus retentionis Legibus Romanis, esse conforme, nunc quoque paucis removenda sunt objectiones, quæ hoc jus tanquam injuriam damnant. Et hæc plerumque desumuntur ex inde: quod retentio sit analogum aliquod privatæ executionis teste ANDR. CLVDIO in Tract. de Condit. Indeb. Cap. 7. n. 66. a qua regulariter non incipiendum, & quod nemo privata auctoritate sibi jus dicere, sed potius id quod sibi debetur, competenti actione instituta, coram iudice persequi debeat l. 13. D. quod Met. caus. l. un. C. Ne quis in sua caus. jud. maxime hodierna tempestate, ubi ne amplius quidem licet, aliquem privata auctoritate in jus vocare, sed semper iudicis officium implorandum; ergo multo magis prohibitum esse debet, ne quis in propria causa iudicem agat, & id sibi tribuat, quod arbitrio singulorum minime permittendum, quum hoc modo occasio tumultus excitandi præbeatur, & tranquillitas publica lædatur, immo viam facti arripientes multis periculis se involvere, & DEum ultorem habere, scribit COTHMAN. Resp. Acad. VIII. n. 15. & 17.

§. XI.

§. XI.

Verum enim vero, licet adductæ objectiones speciem quandam veritatis præ se ferant, tamen facile refelluntur, si quis paulo penitius vim illarum inspexerit. *Ad prolatas objectiones O-respon. datur.* Omnes autem huc redeunt: Neminem sibi ipse jus dicere, & in propria causa iudicem agere posse. Sed Responderet retentionem minime gentium aliquem sibi jus dicere, & causam controversam propria auctoritate decidere, quoniam jure retentionis utens, hoc tantum intendit, ut rem eousque detineat, neque ex sua possessione dimittat, donec suum quod sibi debetur, obtinuerit, ergo restitutionem rei non plane tollit, sed tantum differt. conf. FINCKELTH, *obs.* 98. n. 39. Deinde quoque considerandum quod sæpius propter utilitatem publicam recedatur a communis juris regulis, & certis ex causis quædam permittantur, quæ alias sunt prohibita *l. 51. §. multa D. ad Leg. Aquilæ*. Ita etiam jura nostra retentionem utilitatis publicæ causa omni jure permiserunt. Siquidem Reip. maxime interest lites sopiri nec cumulari, sed processus si evitari possunt, omni modo evitari *l. 13. C. de Judic. l. 4. §. 1. in f. de Alienat. jud. mut. caus.* Iusta vero retentio ad abbreviandum & ad evitandum processum magnopere conducit, quia hoc modo actione experiri necessum non habemus, & retentionis exceptio idem fere operatur, quod exceptio litis finitæ, quæ actorem statim a limine judicii repellit. Hinc facilius indultum est, ut aliquis retineat quod jam habet quam ut consequatur, quod non habet *l. 5. D. de R. l. faciliusque retentio quam petitio concessa est l. 1. pr. D. de Pignor.* immo petere prohibitus, non censendus est prohibitus retinere *l. 33. D. de Condict. Indeb SVRD. Dec. 227. num. 15.*

§. XII.

Alia adhuc quæstio paucis hic tangenda: An scilicet retentio tantum in casibus jure expressis, an etiam pro- *Num retentio competat etiam in casibus*

sibus jure non expressis. pter rationis identitatem etiam in non expressis locum habere possit? Sunt, qui putant, jus retentionis, plane nullam pati extensionem, quia illud inter odiosa rejiciunt, quæ regulariter restringenda c. *odia. 15 de R. I. in 6. GOEDD. l. Consil. Marp. 24. n. 283.* Verum sicuti hæc thesis falso innitur fundamento, sic etiam consequentia non potest non corruiere; nam retentio merito inter favorabilia refertur, dum facilius conceditur quam actio, & non tantum propter expensas admittitur, sed etiam ceteris in rebus sibi locum vindicat; præfertur compensationi, potest adhuc in executione exerceri, & quæ sunt alia, conf. FRANTZK. *Lib. III. Resol. 8. n. 21. & 22. COLER. de process. execut. P. I. c. 2. n. 240. seqq.* qui plura adduxit exempla. Et huic sententiæ quoque suffragatur LEYSER *Spec. 175. coroll. 2. ubi provocat ad L. 12. de Vi & vi armata.*

§. XIII.

Quid sentiendum sit de variis retentionis divisionibus.

Progredimur nunc ad divisiones retentionis, de quibus DD. valde inter se disputant; nam dividant eam mox in temporalem & perpetuam; mox in propriam & impropriam talem quæ fit ipso jure, & quæ fit ope exceptionis, quam ultimam divisionem recte fieri existimat LAVTERP. in jam sæpe cit. *Disput. de Retentione.* At si liceat adjicere quid nos sentiamus de his divisionibus, non nisi unicum agnoscimus retentionem, quæ fit ope exceptionis, & quæ eatenus ipso jure fieri dici potest, quatenus nulla retentio, nisi fundamento juris innixa, debitori opponi potest. Alias etenim retentio, quæ vocatur perpetua, aut impropria, aut quæ fieri debet ipso jure, nihil aliud est, quam ipsa compensatio. Et quanquam ambabus largiamur, compensationem quandam cum retentione habere affinitatem, in eo consistentem, quod sicuti per compensationem debitum extinguitur; ita ex accidenti fieri possit, ut eodem modo per retentionem debitum expungatur, puta, si debitor rem, quam creditor detinet, ipsi in solutum relinquat,

quat; manet tamen in eo differenti, quod hoc ab initio non intenderit creditor, dum solum debitorem cogere voluit, ut eo promptius sibi solveret; Verum compensationem urgens, statim ab initio mutuum debitum tollere pro scopo habet. Deinde & in eo insignis deprehenditur differentia, quod retentio in speciebus, & rebus diversis generis locum inveniatur, minime autem compensatio LVDOV. *doctr. Pand. Tit. de Compens. S. 9.* Quare etiam retentio recte dicitur favorabilior compensatione, dum illa semper, hæc vero certis tantummodo casibus exerceri potest.

S. XIV.

Denique quoque haud negligenda sunt requisita, ^{De requisitis} quae ad exercendum jus retentionis adesse debent, & de ^{que ad retentionem} quibus iterum ample inter DD. controversatur. Tria ^{de retentionem} considerat Cel. LEYSER *spec. 175. med. 2.* primum ut debitum exercendam propter quod res alterius retinetur, ^{si certum, deinde ut idem sit} sit liquidum, tandem ut etiam cum re, quae retinetur, aliquo modo sit connexum. Contra quatuor, nempe: ut 1) res sine vitio ad possessorem peneverit, 2) ut constet de debito, 3) ut sit liquidum, & 4) ut causa debendi connexionem cum re habeat, posuit Cel. BOEHMER *in Introd. ad ff. de Compens. n. 10. 17. 18.* De primo requisito aliquem inveniri dissentientem, vix nobis persuaderi patimur, quia extra omnem dubitationis aleam positum, vim & dolum nemini prodesse, & in jure paria esse, non possidere, & per vim possidere; absque possessione autem jus retentionis exerceri non posse, vel exinde liquet, quoniam per illam possessio non acquiritur, sed tantum continuatur. *L. I. pr. D. de Pignor.* Et sicuti retentio denegatur ob debita ex obligatione tantum civili emergentia, sic & possessio vitiosa cui naturalis aequitas non adfuit, & quam retentio pro fundamento habet, jus retinendi tribuere nequit. Quamobrem ad stipulari non possumus GALLIO *Lib. II, obs. 12. n. 6.* afferenti: Et spoliatorem non teneri rem

B 3

rem spoliatam restituere, nisi solutis prius melioramentis, praesertim si in continenti probari possent; nam huic opinioni expresse contradicit *can. redintegranda 3. caus. 3. qu. 1.* ac insuper spoliator non iusto sibi acquisivit titulo possessionem, & per consequens illa vitiosa dicenda omnino, quae uti paulo ante dictum hoc remedium parere non valet.

§. XV.

*Secundum
requisitum
est a quo in
Arbitratum.*

Adsecundum requisitum quod spectat, nempe debitum debere esse certum, etiam non inveniuntur dissentientes. Exemplo hoc illustravit Cel. LEYSER *l. c. med. 3.* desumpto ab Advocato qui acta sub praetextu debiti honorarii clienti edere recusabat, cui tamen retentio denegata, quia cliens advocatum magnum commisse errorem & sibi magnopere nocuisse, opponebat, unde incertum reddebatur, an isti advocato honorarium deberetur, necne. Aliud exemplum illustrationis ergo de debito conditionali suppeditare volumus. Debitum conditionale admodum incertum esse per se patet, unde dies obligationis nec cessit nec venit; hinc si aliquis pendente conditione, iure retentionis sibi prospicere vellet, merito hoc ipsi denegandum; nisi forsan debitor de fuga suspectus, aut dilapidatio vel simile periculum sub esset, *conf. L. 14. D. de Pignor. & BRVNNEMAN ad Lun. C. etiam ob chirograph.*

*Tertiam
quidem im-
pugnatur,
sed praxi
& aequitati
confirmatur.*

pec. n. II. Ast quoad requisitum tertium magnus dissentientium deprehenditur numerus, quorum tamen argumenta adducere atque examinare non opus erit, quia LAVTERB. in *Dis. sua de retent.* in 6. 7. & 8. nos hac opera jam levavit. Addimus ergo solum quid nobis se deat mentis, & sic subscribendum esse sententiae in praxi receptae, & aequitati maxime consentaneae, scilicet ad retentionem liquidum requiri debitum, ratione quoque a compensatione desumpta, utpote in qua secundum *L. ult. C. de Compens.* tale requiritur debitum, & quae lex ob paritatem rationis recte ad ius retentionis applicanda. Si ve-

to debitum illiquidum, tunc quidem possessor rem restituere obligatur, non ante tamen quam ipse a debitore, cautioe idonea praestita, securus fit redditus debiti sui. In hanc nobiscum conspirare sententiam ICtos non infimae caveae multos, probat. STRYK. V. M. Tit. de Compens. §. 16.

§. XVI.

Nec minoribus obnoxium est ultimum requisitum ^{Et quare} controversiis, an debitum ob quod jus retentionis exerce- ^{denique mul-} tur, debeat esse connexum cum re retenta, vel an causa re- ^{tis expositum} tionis ipsi rei, quae detinetur, in haerere debeat? Pri- ^{est litigis.} mo sciendum, quid sit, causam retentionis rei retentae inhaerere? Et Rf, tunc causam retentionis rei, quae detinetur inhaerere dici, si debitum propter eam sit contractum, aut si in eam a possessore factae sint expensae vel operae, contra si debitum propter aliam, quae detinetur, rem, sit constatum, aut expensae vel operae in rem detentam factae sint nullae, tunc causa retentionis rei non inhaerere dicitur vid. CARPZOV. P. II. Concl. 25. def. 23 & 24. ubi hoc exemplis illustratum. Et hic ad priorem casum, si debitum ex eadem causa enatum, quantum quidem nos meminimus, serra contentiois inter DD. non recipitur; verum quoad posteriorem omnino, adeo, ut si veritas ex multitudine statuentium dijudicanda veniret, jus retentionis in illo non esset admittendum. Argumenta quibus utuntur apud CARPZOV. l. c. partim, partim apud COLERVM de Proc. Exec. P. I. C. 2. n. 244. inveniuntur. Sed quoniam his omnibus jam ex asse satisfactum in *Disput. de jure Retentionis ex diversa etiam causa competente.* Praeside Jac. Frider. Ludovici Halae Magdeburgicae 1737. habita; ergo quae ibi dicta exscribere merito supersedemus.

§. XVII.

Vnicum tamen adjicere lubet, quod Cel. LEYSER. ^{Leys. sententia} *Spec. 175. med. §.* quoque suum adjiciat calculum ^{et} *ill. quid nobis* ^{circum illorum}

*sedat, addu-
citur.*

illis, qui in hoc casu jus retentionis cessare, asserunt his verbis. *Verum enim vero, si etiam naturalem rationem spectas, retentio jus aliquod ipsam rem, quae retinetur adficiens, requirit, adeoque si tale non adsit, nec exerceri potest.* Sed pace tam magni nominis Icti, nobis haec ratio stringere non videtur, aequitas naturalis vult, ut nemo laedatur, & suum cuique tribuatur; prius pertinet ad jura connata, posterius ad jura acquisita; si quis itaque morosum haberet debitorem, promissi sui immemorem, aequitatem naturalem flocci facientem, & nihil magis cupientem, quam eum molestissimo implicare processui, ac fatigare ita, ut tandem pertaesus molestiarum, potius suo cum damno ab illo desisteret, quam eam continuaret, an tunc contra aequitatem naturalem peccaret, si huic malo obviam iturus, rem istiusmodi debitores apud se existentem, quamvis jus aliquod rem ipsam adficiens deficiat, aut debitum connexum non adsit, tamdiu detineret, donec ei debitum ex alia causa contractum solutum? profecto! quantum nobis cernere datur, hunc suum absque strepetu forensi consequendi modum non improbat aequitas naturalis, sed potius suadet; nec illi aliquid detrahitur, licet jus retentionis ex diversa exerceatur causa, dum detinens praeter aequitatem nihil intendit, & semper paratus est, rem debitori restituere modo ille se suo primum liquido exsolverit debito. conf. §. 6. sup. Ad LL. obstantes a cel. LEYSER, l. c. adductas, in jam ante allegata disput. responsum est, ubi in §. 44. haec leguntur verba. *Verum verior mihi videtur illorum sententia qui retentionem de genere permissorum, & omnibus creditoribus regulariter permissum esse statuunt, rem debitorum suorum, vel illis debitam, quam sine vitio tenent, retinere, donec ipsi de debito satisfiat.*

§. XVII.

Reliquas circa jus retentionis formandas & formari solitas quaestiones, & quomodo tandem finiatur, misissas facimus, quoniam §. 3. nos generalia tantummodo ad.

adducturos esse, promissimus. Vberiores ergo qui postulat deductiones, conferre potest autores ex instituto hanc materiam tractantes: JOH. ALTHVSIVM, PYRRH. MAVRVM, JOH. PETR. MOLIGNATVM & praeter saepe citatam Diff. LAVTERB. aliosque plures.

SECTIO II.

DE

DEPOSITI RETENTIONE IN SPECIE.

§. I.

Generalioribus de retentione jam praemissis, nunc progredimur ad thema ipsum enucleandum, inquirendo: An & quando in deposito jus retentionis a depositario in sui securitatem adhiberi possit? Si hic ascendere velimus in pristina tempora, indagaturi quando hic in usu esse coeperit contractus; tunc nos a veritatis tramite haud aberrare credimus, si quasi ad mundi incunabula illum transferamus; nam statim multiplicatis hominibus, occasionem hujus exercendi contractus extitisse, immo necessitatem illius adhibendi adfuisse, vix dubitari potest: Nec opus fuit expectare, donec pretium rerum eminent inveniretur, quandoquidem hoc officium, quod alteri in recipiendis rebus suis exhibetur, nudam tantum custodiam comprehendit, mutuaque praestationem non habet annexam; quare ad illud praestandum humanitatis amor etiam absque pretio unumquemque

Contractus depositi refertur ad contractus antiquissimos, qui statim multiplicatis hominibus in usu esse cepit.

C

que

que obligavit. Pertinet igitur ad contractus antiquissimos, sicut & e sacris litteris edocemur, istum jam in veteri obtinuisse testamento, uti videre est, Exod. XXII. 7. 8. 9. & 12. Levit. VI. 2.

§. II.

*Ex jure civili
novam acce-
pit formam
contractus
depositi*

Depositum igitur originem suam ex jure civili non trahere, ex jam dictis sat luculenter apparet; quamquam ambabus largiamur, omnes fere contractus, inter gentes ante juris civilis existentiam celebrari solitos, tamen exinde novam accepisse formam, id quod etiam circa depositum accidisse, vel ex sola depositi divisione probatur; nam mox depositum proprie sic dictum, mox sequestrum audit, utrumque iterum est vel necessarium vel voluntarium, deinde dividitur in regulare & irregulare; tandem & adest depositum judiciale, quando debitor id quod debet suo offert creditori, hoc autem illud acceptare recusante, postea apud judicem competentem deponit, eum in finem, ut sic se ab obligatione liberet, quod alias vocatur: depositum justitiae vel etiam juris, de quo peculiarem habet Disput. LAVTERB. Vol. II. Disp. 62. Verum enim vero, quoniam haec omnia, omnibus in compendiis tractantur & explicantur, & sic ubivis obvia deprehenduntur, his ulterius insistere, nobis labor videtur frustraneus; pariter ac si vellemus tradere definitionem depositi quae §. 3. *J. Quib. mod. re contra. b.* legitur. Porro quod hic contractus sit realis & gratuitus; quod dominium non transferatur in depositarium; quod in specie quandocunque deponenti placuerit, sit restituendum, quia regulariter depositarii nihil interest, rem depositam apud ipsum relinqui, BRVNN. ad L. I. D. *Depos. n.* 32. & quae sunt reliqua,

§. III.

§. III.

Hoc tamen minime pretereundum esse remur, quod ^{Contractus depositi est} varia huic contractui concessa sint privilegia, in quibus ^{maxime privilegiatus & sancte colendus.} imperator Justinianus veterum vestigia pressit, qui hoc contractu nihil habuere sanctius, adeo ut neque illos impunitos dimiserint, qui modo abnegarunt depositum, quanquam postea restituerint, ceu docet exemplum GLAVCI apud HERODOTVM VI. 87. cujus meminit Cel. HEINECCIUS in *Elem. I. N. & G. Lib. I. §. 344. x.* & simul provocat ad *IVVENALEM Sat. XIII.* ex qua haec transcripsisse verba, non ingratum fore arbitramur. Sonant autem ea ita:

*Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri
Iurando: quaerebat enim quae Numinis esset
Mens, & an hoc illud Facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moridus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit,
Extinctus tota pariter cum prole domoque:
Et quamvis longa deductus gente, propinquis,
Has patitur poena peccandi sola voluntas:
Nam scelus intra se tacitum, qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.*

Si in causam, cur tam grave in violatores hujus contractus animadverterint, inquirere velimus, ea nulla alia est, quam singularis fiducia, quam in amicitia & fide Depositarii collocatam habet deponens; eam autem spem fallere, atque sub obtentu amicitiae alterum decipere, tam iniquum habebatur, ut nihil supra; Immo abnegationem depositi turpiorem esse ipso furto, ea ex ratione, quoniam in hoc jus dominii & justitia, in illa vero simul leges amicitiae violantur, asserit. PUFFEND. *de Jur. N. & G. Lib. V. Cap. 4. §. 7.* CAROLVM V. in sua Nemesi hoc delictum quoque furto aequiparasse, & eidem eandem, quae

obtinet in furto, dictitasse poenam, patet ex *Art. 170.* ubi: Welcher mit eines andern Gütern, die ihm in guten Glauben zu behalten, und zu verwahren gegeben seyn, williger und gefährlicher weiß, dem Gläubiger zu Schaden handelt, solche Mißthat ist einem Diebstal gleich zu straffen. Quamvis lubenter fateamur, mitiorem in praxi receptam esse poenam, per ea quae tradit *Cel. KRESS. in Comment. ad d. art. Germanis circa depositum quatenam fuerit religio, adduxit Cel. HEINECC. in Elem. Jur. Germ. Lib. II. Tit. 13. §. 381.*

§. IV.

Depositum non obstantibus privilegiis interdictum retinere licet.

Privilegia vero huic contractui competentia esse admodum multa ac singularia, constat praecipue ex *L. pen C. de pos. l. ult. § 1. C. de Compens. § 30 l. de Act.* ubi Imperator IVSTINIAN. generaliter loquitur, ne sub ullo praetextu depositi retentio denegetur. Omnia autem huc recensere & enodare, non est scopus nostrae Dissertationis, sed potius ea nobis sedet mens, ut provirium nostrarum tenuitate ostendamus, beneficium retentionis, non obstantibus istis multis & singularibus beneficiis, nihilominus interdum, certis praesuppositis requisitis, locum habere posse. Passim quidem de jure retentionis circa depositum mentio injicitur in Compendiis, ut & ab aliis autoribus, & quae imprimis fere omnia eleganter exposuit NICOL. CHRISTOPHORVS LYNCKERVS in *Disp. de privilegiis Depositii* Jenæ 1678 habita, ubi *ib. 27 seqq.* etiam de privilegio, quod nequidem retentio per modum exceptionis a depositario proposita admittatur, agit, & varias limitationes subjecit; nemo tamen quod sciamus, ex professo, hanc sub examen revocavit materiam; Quare oleum & operam nos non perdidisse, si in hac Disputatione Inaugurali eam explicare, & exemplis, illustrare conemur, certum sumus persuasi.

§. V.

Est itaque verum quidem omnino, quod WILHEL. *Retentionis*
 ANTON. *de FREVDENBERG Tract. de Rescriptis mo jure deposti-*
ratoris Tit. I. Concl. 39. pr. scripsit: Ex omnibus obligationum tarius recte
causis nullam esse favorabiliorem, quaeque propter exuberantiam fi- utitur se-
dei majoribus privilegiis superbiat, quam quae ex deposito oritur, naturae. cundum jus
cui propter supremus locus tribuendus sit. Ast tamen hoc non
 non ita accipiendum, ac si prorsus omnes cessarent limi-
 tationes, ex sequentibus patebit. Primum ergo brevif-
 simis volumus indagare: An etiam Depositarius secun-
 dum dictamen rectae rationis ad suam a deponente con-
 sequendum, recte utatur jure retentionis? Et hic provo-
 camus quae in *Secl. I. §. 6. seq.* exposuimus, ubi in gene-
 re de jure retentionis agentes asseruimus, hoc jus quam
 maxime esse juri naturae consentaneum, si nempe alter
 sponte sua mihi id reddere detrectat, ad quod reddendum
 erat obstrictus. Vnde & nunc inferimus, Depositarium
 non esse excludendum hoc suum persequendi modo. Ra-
 tio; quoniam secundum jus naturae omnes homines na-
 tura sunt aequales: *Nam nemo hominum plus juris habet quam*
alter, nec ullus hominum jus habet majus quam alter Cel. Wolff.
I. N. Cap. I. §. 89. Quumque aequalitas naturae aequa-
 lia etiam officia exigat, & homo hominem non minus
 quam se ipsum teneatur amare; ille autem quam maxi-
 me contra legem amoris peccat, qui alterum laedit; laede-
 re vero dicitur, qui quod alterius est aufert, intervertit ac
 denegat; ad laesionem autem avertendam quilibet sibi
 legitimo modo prospicere potest; consequens est: ut et
 Depositario, cui Deponens aequale officium denegat, &
 illum minus quam se diligit, ac illum laedere intendit,
 ad hanc laesionem avertendam jus retentionis in re de-
 posita tamdiu competat, donec suum sit consecutus. Nec
 est quod objicias, in Depositario majorem esse obligatio-
 nem ad rem depositam restituendam, quam in Deponente

ad solvendum id, quod debet, quoniam perfectam obligationem utrinque adesse praesupponimus, & non minor est obligatio perfecta, quae ex alia justa causa oritur, quam qua quis ad depositum restituendum obstringitur. Primo ergo credimus stare talo, ex jure naturae ob antea deducta, Depositarium uti posse jure retentionis in re deposita,

§. VI.

*Secundum
jus civile de
positum com-
pensare pro-
hibetur.*

Quod attinet ad jus civile longe aliter judicandum esse, omnes uno affirmant ore, provocando ad LL. jam §. 4. a nobis allegatas. De compensatione hoc certum esse, nemo facile dubitaverit, imprimis si species certa apud aliquem deposita, in quam cadere potest affectio, aut quam deponens ex alia quadam justa causa amittere non vult, ex qua ratione jam ante Iustinianum, compensatio, si res deposita adhuc extaret, locum invenire non potuit; quandoquidem contra aequitatem naturalem esset, aliquem invitum re quadam privare & ad illam alteri relinquentiam, cogere velle; idem quoque obtinere, si quantitas ut species deposita, ex eadem fuit ratione; verum quod quantitas non ut species deposita nihilominus compensationem respuat, hoc unice ex privilegio quod Iustinianus huic contractui dedit, derivandum, & quod a multis DD. etiam ad eum extenditur casum, si res deposita, culpa Depositarii perierit, & hic ad rei peremptae aestimationem condemnatus licet hoc certis praesuppositis requisitis fieri, posse, probavit Dn. PRAESES in *Disp. de casu fortuito a Depositario praestando Cap. III. §. 23. seqq.*

§. VII.

*Idem quoque
de retentio-
ne dicendum
esse multi*

Verum quid dicendum de jure retentionis? Hoc jus facilius concedi quam compensationem, immo ubi haec quiescit, illud tamen saepe admitti, a nemine in dubium

vo-

vocatur, *MEV. Part. VIII. Dec. 379.* Interim hoc nihilominus cessare in deposito, omnes quoque suo approbant cal-
culo, imprimis propter *L. 11. C. depof. vel contra*, ubi: *cum non sub hoc modo depositum acceperit, ut non concessa ei retentio ge-
neretur, & contractus qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.* arbitrantur propter L. 12. C. Depof. quae vero les- merito a nobis restringi- tur.

Hinc si depositarius retentionem per modum excep-
tionis deponenti, rem depositam repetenti, oppo-
nat, licet debitum esset liquidissimum, tamen non est
audiendus, ratio: quia in hoc contractu exuberantior de-
bet esse bona fides, *BRUNN. ad d. L. 11 n. 1.* Verum e-
nim vero, quandoquidem omnis interpretatio legum ita
facienda, ut aequitatem naturalem non migremus, quam
legislator in condendis legibus ante oculos habuisse sem-
per! praesumendus est; ergo & hanc exuberantiam bonae
fidei non nimis longe praeter mentem legislatoris extenden-
dam esse, arbitramur. Quis enim absque injuria Impera-
toris auderet asserere, eum restitutionem depositi injun-
xisse, quamvis Deponens in aperto dolo haereret, & lucu-
lenter constaret, illum nihil aliud intendere, quam post re-
stitutionem factam, sibi fuga consulere, & rem secum auf-
ferre. Profecto si exuberantior fides hunc produceret ef-
fectum, ut deponenti, cujus vultus jam impostorem cla-
mitat, ita patrocinaretur, ea non posset non fieri iniquis-
sima. Finge casum: Titium 200 Imperiales apud Mevium
deposuisse, & Titium quoque esse in aere Mevii, quoniam
vero hic omnia sua bona jam decoxit, hinc ad amicum suum
similem scribit: se apud animum constituisse, 200 Imperi-
ales depositos a Mevio repetere, ac postea aliorum migra-
re, & ita illum decipere, hae litterae autem casu quo-
dam in manus Mevii pervenerunt, ergo ubi Titius depo-
situm repetit, Mevius illi exceptionem doli opponit, ac
simul litteras ipsius, quas nec diffidetur, producit: An ad-
huc putas Mevio denegandum esse jus retentionis? Nos
putamus plane non, nec nobis persuadere possumus, Im-
peratorem IVSTINIANVM in his verbis: *nullamque compensa-
tionem vel deductionem vel doli exceptionem opponat*, hoc volu-
isse

ipse; sed tantum intendisse, ne sub ullo praetextu, quamvis admodum vero simili, restitutioni mora injiceretur, sed tunc depositario sua actio esset reservanda; aut si animus defraudandi deponentis tam apertus, uti in exemplo dato, ac depositarius alio modo suum salvare non potest, jus retentionis ipsi non denegandum, Nec, nos a nostra sententia dimoveri patimur per ea, quae adducit *HAHN* ad *WESENB. Vir. Deposit. n. X.* de copia iudicis, quod per illum distractio & exsolutio fieri debeat; nam hic est finis primum retentionis praeter quem depositarius nihil amplius etiam praetendit.

§. VIII.

Depositario quoque competit etiam si debitum ex diversa a deposito causa sit contractum.

Equidem non ignoramus DD. quando quosdam excipiunt casus, in quibus jus retentionis depositario concedunt, semper requirere, ut debitum non ex diversa & alia a deposito causa sit contractum; sed intuitu ipsius depositi, & tunc praesumere tacitam voluntatem deponentis; unde concludunt, si ex diversa causa debitum oriatur, tunc non recte recusari restitutionem depositi, quia retentio tantum licita propter ea, quae contrario iudicio consequi quis potest. *STRUV. S. I. C. Exerc. 19. th. 12.* Verum hanc regulam non adeo simpliciter esse veram, ut nullus existere posset casus, in quo juri retentionis locus esset, quamvis ex diversa a deposito causa debitum contractum, exemplum in praecedenti datum, sat comprobabit. Neque possumus induci, ut credamus, nos menti dictae *L. pen. C. Depos.* si hoc statuamus, vim inferre; quandoquidem ipse legislator Justinianus hoc insinuare voluit, dum rationem addit, quare exceptiones in repetitione depositi exulare debeant, puta: *ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.* Quales, quaeso, autem perfidia in depositario deprehenditur, qui jure retentionis sibi consulit, quando certo certius est, deponentem ipsum decipere velle? Cessante ergo ratione, legis, cessare quoque oportet dispositionem, & deponentem

tem, qui a sua parte fidem fregit, qua fronte a depositario illam requirere posse, nobis cernere non datur. Merito ad hanc nostram confirmandam sententiam adducimus verba quæ habet *MEVIUS P. I. Dec. 56. n. 3.* dum scribit: *Spmet declarat constitutio D. L. pen. quando dicit, ideo non accipi sepositum, ut non concessa ei retentio generetur & contractus qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Ex quibus sic colligitur, esse tamen quandam retentionem non illicitam, nempe quæ omni perfidie specie caret, ideo multo magis eam, quæ exceptio- ne seu replica doli contra deponentem defenditur, dum ille contra bonam fidem agit: Add. HARPRECHT Comment. ad Tit. Quib. re contrab. ad § 3 n. 14 ubi: Nulla item compensatio, deductio, vel doli ausi non numeratae pecuniae, aliave NB, altiore in indaginem requirens exceptio ista hanc actionem excludit.*

§. IX.

His praestructis pedem nunc promovemus ad retentionem ipsam, eam exemplis illustraturi. Dividimus vero illam in praeceptivam & permissivam; priorem vocamus, quando quis non in sui securitatem, sed potius in utilitatem depositarii, aut tertii, vel ex lege naturali, vel ad iussu iudicis, res depositas retinet; posteriorem autem, quando quis propter suam securitatem eam exercet, & eo cogit modo deponentem ad citius solvendum id, quod sibi debet, ut & ne opus habeat actione primum experiri, ac in iudicio petere, quod faciliori hac via sine ambagibus consequi potest. De utraque igitur nunc in sequentibus quosdam adjicere casus lubet, ex quibus haec materia majorem lucem fenerari potest.

Retentio dividitur in praeceptivam & permissivam.

§. X.

Ad praeceptivam itaque retentionem referimus primo casum satis notum, qui continetur in c. 14. *Ne quis C. 22. positi praegu. 2.* ubi si cui gladius commendatur & promittat se redditurum

Retentio de casu positi praeceptiva ad

D

cum

toties locum
habet, quoti-
es depositi
restitutio fit
nociva.

cum ille qui commendavit, posuerit; si forte gladium suum repe-
rat furens, manifestum est, tunc non esse reddendum, ne vel se oc-
cidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Manifestum est
ex hoc casu, posse supervenire circumstantias, quae non
suadent tantum denegare restitutionem depositi; verum,
quae ceu lex nos obstringunt, ne illud repositi redda-
mus, nisi nos velimus participes & reos facere infortunii,
quod post restitutionem exiturum praevidere potuimus
& debuimus. Alium adhuc subministrare volumus ca-
sum, ubi retentioni praeceptivae locum esse existimamus,
v. gr. Si quis apud aliquem 1000 Joachimicos deposuit, qui
cupidine ludendi adeo flagrat, ut scitatas lusorias quo-
tidie quaerat; hic anhelans accurrit suum depositarium,
indicando, se aliquo in loco cum aliis tempus fallere ludis,
& se omnem suam pecuniam perdidisse, & ideo deside-
rare, ut illico & ocyllime ad continuandum ludum ipsi re-
stitueret suos mille imperiales depositos; nam & hic lex
naturalis prohibet restitutionem depositi, utpote quae
vult ut alterius felicitatem, quantum in nobis est, promo-
veamus, & omne damnum ab illo avertamus. Regula
ergo tenenda: Quotiescunque depositarius certe praevi-
det, restitutionem deponenti esse nocivam, toties est ob-
ligatus depositum retinere. Spectat huc elegans effatum
Senecae de Benef. l. 4. c. 10. *Depositum reddere per se res ex-
petenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec
quolibet tempore. Aliquando nihil interest, utrum inficior an pa-
lam reddam: Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum &
nociturum illi depositum negabo.*

S. XI.

liberam inces-
sas & prin-
cipis depofi-
tum depo-

Non intempestive hic quoque quaeri autumamus:
Quid inter gentes aut Principes regnantes obtineat, &
utrum deponenti indistincte depositum sit restituendum?
Contractum enim depositi etiam inter personas regnantes
esse celebratum, varia evincunt exempla. Et Rsp. quod
haec

haec quaestio regulariter sit affirmanda, quoniam in statu libertatis admodum difficile iudicatu, quis iustior^{nenti est restituendum.} habeat petitionem, nisi depositarius recte coniciat, sibi ipsi, aut tertio restitutionem rerum depositarum admodum fore damnosam, quia tunc jus naturae, quod & regnantes obligat, restitutionem prohibet, ac ita adest retentio praeceptiva. Omnium optime hoc illustrat casus, quem recenset GUNDLING im ausführlichen Discours über das Natur und Völkerverrecht Cap. 23. §. 22. his verbis: Die Schweden haben ehemahls die Sachsen am Düna Strom geschlagen; die letzten hatten eine unergleichliche Artillerie, davon sie vieles nach Memel und Preussen salviret. Der König von Schweden wolte diese Stücke haben. Man sagte aber, der König AVGVSTVS hätte sie deponiret, also können wir solche niemand geben, als demjenigen, der sie deponiret. Der König in Schweden sagte: Erwäre Victor, ihm gehörten die Stücke. Wir antworteten: Wenn er die Stücke schon gehabt hätte, würden wir sie nicht zu uns genommen haben. Der König in Schweden erwiederte: ehe ichs mich verseehe, so holen die Sachsen die Stücke ab, und gehen wieder auf mich los. Wir sagten endlich: die Stücke geben wir nicht heraus, wollen aber soviel machen, daß sie dem AVGVSTO nicht ausgeliefert werden, ausgenommen, wenn sie nach Sachsen solten gebracht werden, sonst solten sie bleiben, bis der Krieg zu Ende.

§. XII.

Exemplum retentionis praeceptivae quoque praebet, 2. Exemplum si depositio facta sub certa conditione, quorsum spectat retentionis illud QVINTILIANI declamat. 245. Deponitur aliquid, quod praeceptivae quandocumque repetitur, reddendum est. Deponitur aliquid in tempore, desumitur ex Quintiliano. Hoc quomodo depositum erat? ut acciperes, cum luxuriari desisses. Quo tempore repetebas, tunc luxuriaberis. Non debatur ergo, nec potest videri inficiatum, quando eo tempore negatur, quo illi extorqueri non possent vel consentienti. Repugnare hoc

videtur deposito, quod, quancumque liberit, deponenti restituendum, adeo, ut conventio in contrarium non valeat. Quare PUFFEND, *de l. N. & G. Lib. V. Cap. 4. §. 7.* hoc ita conciliare opinatur, ut hoc de deponentis herede intelligendum, si ille ante exutam luxuriam depositum repetere, non autem si deponens ipse rem sub hac conditione depositam reposceret; est huic opinioni subscribere dubitamus. Casus esto; Est quidam vir juvenis, qui animadvertit, se maxime esse proclivem ad luxuriam, & sibi vix ab illa temperare posse, dum ergo, quasi ad temporis aliquod spatium deposito hoc adfectu, sibi de futuris vitæ subsidiis prospicere, consilium capit, & hunc in finem rem aliquam magni pretii, & adhuc ad futura vitæ subsidia sufficientem apud quendam sub hac enixa deponit conditione, ne ea sibi prius redderetur, donec ad meliorem rediisset frugem; est paulo post ipsum pœnitet hujus consilii, & iterum corrupto adfectu abreptus venit ad depositarium, reposcens rem depositam, ac addens, se velle illam vendere, & tamdiu genio indulgere, quamdiu ipse aliquid de hæreditate paterna superesset: Hoc casu QVINTILIANI opinionem recte pro cedere & defendendam esse, putamus omnino, non tam propter conditionem a deponente adjectam, quam etiam ob rationem jam §. 10. adductam. Est enim depositarius quidem strictus ad rem deponenti, quancumque illam reponcit, restituendam, sed hoc annexo; nisi aliud suadeat re. Et ratio, CEL, HEINECCIUS, in *Elem. J. N. & G. Lib. I. §. 345.* Optime huc quadrat *L. ult. §. 5. in fin. C. de bon. qualibet. Mælius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristrem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium.*

§. XIII.

Pariter ad retentionem præceptivam pertinet, si tunc
 3. Si depositarius se rei depositæ dominum dicat, & suum dominium in
 verus domi- continentiliquido ostendere possit, nam tunc deponenti res
 nus superve- deposita non est restituenda, sed dominus præferendus
 nit. propter elegantem textum in *L. bona fide 31. §. Depos. Et li-*

licet alias exceptio domini deponenti objici nequeat, quia depositum etiam in re aliena consistere potest, & dominium in hoc contractu non defertur, sed nuda tantum custodia, immo & hæc exceptio de jure tertii est, quæ restitutionem non remoratur; interim tamen hoc aliter se habet, si verus dominus cum prædone aut fure, qui rem deposuit, in repetitione, concurrat, sic enim tantum abest, ut huic depositum restituatur, ut potius depositario ab ipsa æquitate naturali injunctum & præceptum, retentionem adversus illum exercere, & rem suo restituere domino *BRUNN. ad l. 31. D. Deposit.*

§. XIV.

Haud immerito etiam ad retentionem præceptivam spectat, quando bona deponentis post depositionem factam propter delictum quoddam confiscantur, nam tunc depositum deponenti non restituendum, sed illud in publicum deferri oportet, uti expresse cautum in *L. 31. D. Deposit.* Verum, an hic repugnantia ad sit juris naturæ & Gentium, ac juris civilis, ut putat *TRYPHONIUS* in *cit. Lege*, solet quæri: Rationem quam allegat, est ea: quoniam jure naturali depositum reddendum ei, qui deposuit. Sed recte respondetur: hic nullam esse repugnantiam inter jus naturæ & civile: Est quidem verum, quod jus naturæ vult, ut deponenti restituatur, depositum; interim, quando hic dominium amisit, & res deposita ad illum non amplius pertinet, tunc & antea dicta applicatio juris naturalis esset, necesse est. Quod autem deponens per publicationem dominio rerum suarum exciderit, & illud in Fiscum sit translatum, nemo in dubium vocare potest, imprimis, cum imperantibus potestas, delinquentes bonis suis multandi & jure gentium competat, ut latius deduxit *PUFFEND.* de *jur. N. & G. Lib. 4. Cap. 13. §. 5.* qui ita concludit: *Omne autem dominium, sive ex jure civili sive gentium oriatur, hunc inter cetera habet effectum, ut quis possessor eam rem vero, qui in præsens est, domino restituere teneatur.*

D 3;

§. XV.

§. XV.

A. Si Sequestratio facta est, & denique. 5. Propter arrestum legitimo modo impetratum.

Unicum adhuc adduxisse casum de sequestratione ad retentionem præceptivam spectantem, sufficit. Esse sequestrum species depositi noto notius est; sicut & jure nostro omnes sequestrationes regulariter prohiberi, quoniam nemo ante litem finitam, sua privandus est possessione; interim posse existere casus, ubi iudex iuxta commotus causa, si nempe ex mora periculum metuatur, etiam partibus invitis ad sequestrationem rei litigiosæ procedere, eamque decernere possit, nemo quoque est, qui ignoret. Effectus hujus sequestrationis maxime in eo consistit; quod securum reddat creditorem, de conservatione juris sui, periculum ex fuga, dilapidatione vel alia quavis causa impendens avertat, judicique haud patiaturs fieri frustratoria *BERLICH concl. pract. P. I. concl. 73. n. 144.* Si ergo post decretam sequestrationem alteruter litigantium ad sequestrum veniret, urfurus restitutionem rei sequestratæ, tunc ille obstructus est ad jus retentionis exercendum, quoniam alias judicium redderetur elusorium, & suo exideret fine, in quem sequestratio ab ipso decreta, scilicet, ut non nisi lite finita, victori restitueretur, adeo, ut sequestrer, qui modo alterutri litiganti, e sequestro sumtus litis suppeditat, ad restitutionem actione depositi sequestraria compellatur, nisi judici æquum visum fuerit, ut uni litigantium sumtus litis ex sequestro decerneret, *Col. LEYSER spec. 175. med. 3.* Et licet hæctenus adducta, ad sequestrum necessarium pertineant, nihil tamen obstat, quo minus & applicationem in sequestro voluntario inveniant. Potuissimus quoque adhuc investigare questionem: an per arrestum depositi restitutum impediatur? &: an *auth sed jam cautum C. Depos. hoc prohibeatur?* ast, quoniam communior & receptor est sententia in *d. Auth. quæ ex Nov. 88. desumpta*, arrestum a iudice legitime impetratum eum in finem, ut facilius res iudicata

exe.

executioni dari possit, vel, ut creditori hoc remedio contra debitorem forte discessurum, eo melius consulatur, non prohiberi, vid. RICHTER *ad cit. aurb.* KLOCK, vol. II. Conf. 72. n. 22. & 51. & sic per se patet, depositarium recte uti jure retentionis; hinc ne proposito longius evadamus, haec de retentione in deposito praeceptiva, satis esse debeant.

§. XVI.

Et sic adhuc tantum reliquum est, nos nostra fide §. *Transitus a dē* *retentionem* *depositi per* *missivam.*
 9. data, quoque quoad retentionem permissivam liberare, ac exemplis probare, quando huius locus sit concedendus. Primum itaque exempla in medium prolaturi sumus, quae non pro fundamento juris retentionis exercendae habent sumtus in rem depositam factos, sed quae hanc licentiam ex alio hauriunt fonte; & deinde quae expensas in depositum vel occasione illius factas concernunt, & exinde jus retentionis in deposito licitum reddunt.

§. XVII.

Depositum esse vel regulare vel irregulare, §. 2. hu- *1. In depositum*
 jus Sect. dictum, & hoc posterius ita vocari, quoniam no- *irregularem*
 tissimos depositi terminos egreditur, dum usus rei fungibilis *ius retentionis*
 depositario concessus, omnes inter constat. Hoc *permissivum*
 tamen observandum, an a deponente usus expresse vel ta- *titur.*
 cite sit concessus; posterius factum praesumitur, si monetæ genus non rarum apud aliquem adnumeratum quidem, sed non obfignatum deponitur, & hoc casu manet depositum, quamvis irregulare fiat in eo, quod tantumdem possit restitui; at si deponens expresse & ex sua liberalitate ultro depositario usum permittit, tunc degenerat in mutuum, & privilegia depositi plane corrumpunt. Ita hoc explicat STRYK.
 V.

V. M. Tit. *Deposit.* §. 2. Verum, si liceat nostram adijcere sententiam, nihil interesse arbitramur, an expresse an tacite usus rei fungibilis sit concessus, sed negotium degenerare in mutuum, & tantummodo abusive & grammattice, quia fuit depositum, adhuc nominari depositum. Consentit nobiscum LUDOVICI in *Doctr. Pand. Tit. Depos.* §. 2. Si nunc quaeratur: an in deposito irregulari permissum sit jus retentionis? omnino respondendum est, quod sic; Nam ubi utrinque debitum liquidum adest, ibi semper obtinet compensatio, ergo multo magis retentio, quæ adhuc facilius conceditur.

§. XVIII.

2. Quando
ita conven-
tum est vel
expresse vel
tacite.

Porro ad retentionem permissivam pertinere, quando deponens expresse hanc licentiam depositario dedit, extra omnem dubitationis aleam positum est. Nec est, quod obijcias, hoc adversari naturæ depositi, quod illico & ocysime, rejecta omni exceptione, est restituendum; quoniam quilibet favori pro se introducto, renunciare potest, *L. 29. C. de Pact.* & voluntas contrahentium legem contractui dat *L. 23. D. de R. I.* ut adeo deponens tunc ex pacto teneatur, ante debiti solutionem haud repetere depositum. Immo interdum ejusmodi renunciatio etiam tacite fieri solet, per tacitam & eventualem pignoris constitutionem in deposito, quando nimirum aliquis, qui alteri nondum obligatus est, futuram tamen obligationem certo praevidet, & illius securitati prospicere cupit, apud eum aliquid deponit, nulla quidem injecta pignoris mentione, sed ita, ut ex verbis vel factis appareat, depositarii securitatem simul intendi. In hoc casu pignus sine dubio constituitur; siquidem voluntas magis quam verborum conceptio inspicienda est, *L. 9. C. quæ res pign.* &c. & futuræ quoque obligationi pignus accedere potest *L. 5. pr. D. de pignor.*
Hinc

Hinc quoque tale depositum non retentionem solum, sed ipsam compensationem admittit, & debito soluto demum restituendum, ut praejudicio confirmat LEYSER Spec. 176. med. 2. & 3. add. MEV. P. II. Dec. 55.

§. XIX.

Magnam affinitatem cum praecedenti exemplo habet, si depositio est facta in commodum depositarii. E-^{3. Si in depo- sitarii com- modum de- positio facta est.} quidem fere semper hic contractus in gratiam deponen- tis celebratur, & sic ex natura negotii, rem depositam quodocunque esse restituendam, fuit, interim tamen posse existere casum, in quo deponens utilitati simul depo- sitarii interservire voluit, & ita sub hac conditione promi- sit, se nolle ante repetere depositum, etiam est in apri- co L. 31. §. 22. D. Deposit ubi in fin. vel. conditio depositionis non extiterit. Finge; aliquem diversa vasa argentea apud ali- quem deponere velle, depositarius quidem consentit, (nam est officium humanitatis ad quod nemo cogi potest) in recipi- endis istis, verum sub hac conditione, ut ad certum tempus va- sa illa ipsi relinquuntur, quandoquidem in magno quodam convivio, quod parandum haberet, illis uti vellet; Deponens subscribit ejus voluntati, promittendo, se ad dictum tempus hocce depositum ipsi relicturum, sed postea mutata vo- luntate, venit repetiturus suum depositum; & tunc de- positario permitti, usque ad tempus praestitutum, se ju- re retentionis defendere, vix temere quisquam negave- rit. Calculo hoc quoque approbat suo BRVNN. ad L. 1. §. 45. D. Deposit. I. 32. dum scribit *Interdum tamen audien- dus non esset deponens, quando in gratiam depositarii facta de- positio.*

§. XX.

Neque hic praetereundus est casus, ubi depositari-^{4. Si tan- quam utilis negotiorum gestor se gessit.} us tanquam utilis negotiorum gestor se gessit. Solet hic *quam utilis vul-*

negotiorum gestor depositarius se gessit. vulgo referri, quando depositarius in alimenta, studia aut alios usus necessarios filii deponentis, quicquam ex pecunia deposita convertit, maxime, si ex voluntate deponentis sumtus illos fecit, nec illiquidum sunt MEVIUS P. II. Dec. 56. nam tunc retentionem usque ad concurrentem summam, esse licitam, affirmatur propter L. 12. § 13. D. *Deposit.* Verum, an idem quoque dicendum, si praeter voluntatem deponentis aliquid impensum? majori laborat difficultate; crediderimus tamen affirmative respondendum. Nam si ratio, quam adduxit MEV. c. 1 quod ceu utilis negotiorum gestor se gesserit depositarius; & quod deductio ejus, quod in utilitatem deponentis conversum fuit, sit licita, valeat, uti omnino; tunc & haec quadrat in deponentem ignorantem, i. e. praeter cuius voluntatem aliquid erogatum, quia negotiorum gestor semper ignorantis negotia utiliter gerit, & hoc, quod in filii deponentis alimentationem impensum, in ejus utilitatem impensum esse recte dicitur. Pater enim filio, alimenta suppeditare, etiam ex jure naturali est obligatus, modo tamen modum non supergressus sit depositarius.

§. XXI.

§ An depositum, quod ex alio quodam contractu ortum, retinere liceat? quaeritur.

Ultimus casus fit: Quid statuendum in deposito, quod ex mutuo vel alio quodam contractu originem traxit, & an tunc quis recte utatur jure retentionis? Decisio hujus quaestionis unice dependet ab ea regula: Surrogatum sapit naturam surrogati, puta: an illa tam abscissa sit vera, ut nunquam aliter se habere possit? Nam si hoc, tunc & huic deposito competere privilegia non possunt, quibus alias contractus depositi superbit. Ad mentem nostram clariorem reddendam, casum quendam in terminis, uti loquimur, suppeditaturi sumus, v. g. Titius ex contractu emtionis venditionis Maevio debet centum Imperiales; qui postea ab hoc
tam.

tanquam depositum ipsi relinquuntur, ast, ubi Mævius hac indiget pecunia, & sic suum repetit depositum, Titius opponit exceptionem juris retentionis, quia deponens & fufus postea est factus debitor; hic replicat, in deposito non locum esse juris retentionis, & quamvis hoc debitum ex contractu emtionis venditionis esset ortum, tamen illud in depositum mutasset; Titius duplicat, allegando regulam antea datam, surrogatum sapit naturam surrogati, & sic jus retentionis ipsi non esse denegandum. Quid ergo juris? contra Titium esse pronunciandum existimamus. Ratio: quoniam adducta regula in iis, quae diversam plane habent qualitatem surrogati, non procedit, sicuti exemplo illustrat, de Feudo ex pretio antiqui feudi redempto, quod sit novum, STRVV. in S. I. F. cap. 3. *app. B. n. 6. add. FLEISCHERI. Inst. Jur. Feud. Cap. 4. § 10.* Et certe nulla dari potest ratio sufficiens, cur venditor, cui emtor paratus erat solvere, huic solvendum per brevem manum tanquam depositum relinquere non posset; nam idem est, ac si debitum accepisset, secumque domum abstulisset, & brevi temporis spatio interjecto, hoc iterum ad custodiendum dedisset, modo omnia bona fide ita sint peracta; secus ergo si dicis gratia debitum in depositum, mutatum, forte creditore exploratum habente, debitorem non amplius esse solvendo, ac eum rogante, ut debitum suum propter majorem securitatem ceu depositum agnosceret, nam sic haereret in dolo, ex quo nemo sentire debet commodum. Plures adducere casus, merito superfedemus, cum ex adductis & horum resolutio erit facilis. Properamus itaque ad finem brevissimis nos expectituri, quid circa expensas in depositum factas, obtineat?

§. XXII.

Quid expensarum nomine veniat, & quomodo dividantur, in compendiis est obvium, ergo his immorari non

Propter expensas in

E 2

opus

*rem alienam
factas semper
retentio con-
ceditur.*

opus; nec, quod propter impensas necessarias, rem ab in-
teritu conservantes, & in rem alienam factas, jus reten-
tionis regulariter recte adhibeatur; quandoquidem hoc
extra omnem dubium constitutum est, eum qui modo im-
pedit legitimo, habere actiones recuperandi *L. 8. pr. D. de
Pinor. act. l. 18. §. 2. D. Commod. L. fin. C. de Neg. gesti.* multo ma-
gis igitur exceptionem & retentionem *L. 1 §. 4 D. de superfic.*
unde regula: ubi jura dant actionem, ibi multo magis
retentionem. Sic locator rem locatam restituere non te-
netur, antequam impensae in illam factae solutae fuerint
L. 55. §. 1. l. 16. pr. D. Locat. Cond. Immo ordinarium semper
impensas & melioramenta servandi remedium est reten-
tio, adeo, ut justa retinendi causa existente, jus expel-
lendi, seu propria auctoritate, seu per judicem exulare de-
beat, MEVIVS P. I. Dec. 128.

§. XXIII

*An idem
quoque in
deposito lo-
cum habeat,
DD. dissen-
siunt.*

Postquam igitur in §. praec. dictum, propter impen-
sas in rem alienam factas, quemque sibi jure retentionis
consulere posse; nunc in specie videndum, an in contrac-
tu depositi idem sit affirmandum. Verum enim vero hic
magnopere Dd. inter se dissentire, quis est quem fugiat?
Argumenta autem ab utraque parte adducta, plena colli-
gere manu, nihil aliud esset, quam actum agere. Om-
nia tamen negantium huc redeunt, quod contractus sit
maxime anomalus & ab omnibus bonae fidei negotiis lon-
ge diversus, propter exuberantiam fidei, quae in illo con-
currit; & quod inde omnem omnino retentionem, in de-
posito exulare oporteat, ac illius restitutio, rejectis excep-
tionibus omnibus, quae alias eam impediunt, illico ac
quanto citius facienda sit. Quae opinio superfructa
est *L. 11. C. Depositi.* Et quamvis depositarium plane im-
pen-

penfas in rem depositam factas perdere nolint, dum actionem depositi contrariam ipsi concedunt, qua illas recuperare potest; attamen jus retentionis eum exercere haud posse, propter generalem prohibitionem arbitrantur. Contra agentium argumenta in eo consistunt, quod interpretatio sit praeferenda, quae congruit cum aequitate naturali; quod in *d. L. II. C. depositi* impensarum mentio non sit facta, quae maximum alias in jure habent favorem; quod depositarius jus retentionis, exercens nullam perfidiam committat, cui tamen generalis prohibitio innititur; quod deponens expensas liquidas refundere detrectans sit in dolo; quod tacita quasi conventio ad has faciendas impensas inter deponentem & depositarium sit praesumenda. Et haec essent argumenta ceu in nucleo repraesentata, quibus utraque pars suam stabilire sententiam conatur.

§. XXIV.

Si nunc quæras: cuiam sententiæ a nobis adjiciatur *Affirmati-* calculus? Respondemus: illi, quæ communis & in *praxi* *va senten-* recepta ac verior & æquior est. Sicut illam appellat STRYK *tia a nobis* *praefertur;*
V. M. Tit. Depos. §. 9. nempe quæ retentionem ob impensas admittit, nam, argumenta, dissentientium nimis longe ab æquitate recedunt, quam tamen legislator in condenda *d. L. II* ante oculos habuisse praesumendus, uti §. 7. jam adduximus; deinde deponenti in dolo versanti patrocinium præbent, qui beneficii accepti immemor ingratum prodit animum, & tandem ipsi rationi legis videntur contraria, dum depositarius impensas suas liquidas postulans, perfidiæ argui non potest, cujus se oppido reum facit deponens, has restituere recusans. Neque dissentientium argumenta in salvo manent, quod actionem contrariam ad recuperandas

E 3.

ex.

expensas depositario relinquunt; uti enim varia in jure pro-
 dita sunt remedia, quibus quis sibi prospicere valet; ita
 unicui vis illud eligendum legis beneficium, quo & faci-
 lius & commodius jus suum persequi possit, alias stultitiæ
 ab ipso Imperatore JUSTINIANO incusatur §. 5. l. quod
 cum eo qui in aliena potest. STRYK. *Introd. ad Prax. Forens. C. 1.*
 §. 2. Jam vero retentionis remedium, actione multo pin-
 guius esse, inter omnes constat, adeoque præferendum; nec
 contraria actione tollitur, quia, quicquid illa peti potest, istud
 etiam ab eo, qui directa convenitur, retineri potest *L. 18. §.*
fin. D. Commod. Immo recte asserit SCHILTERUS *Exerc. ad*
Pand. 28. §. 60. in fin. Et quicquid tandem sit de foro Romanorum,
 certe nostrum magis desiderat, ut hac exceptione potius depositarius
 indemnis servetur, quam ut contraria demum actione in prolixum
 reconventionis processum, pro præstito beneficio, ablegetur.

§. XXV.

Propter im-
 penfas utiles
 depositarius
 non retine-
 tur nisi ex
 voluntate
 deponentis
 factæ sint.

Haecenus de impensis necessariis; verum quid de uti-
 libus statuendum? & propter has quoque retentionem
 esse concedendam, existimat JOH GRAKE de auctoritate
 privata *Class. II. C. 17. n. 7.* ubi citat ad præsidium suæ opi-
 nionis SICHARDUM d. L. pen. C. *Deposit.* Verum ille qui-
 dem expensarum mentionem facit, non tamen sigillatim
 utilium; ergo si ex generali locutione vellemus inferre,
 illum utiles quoque comprehendisse; tunc & idem de vo-
 luptuariis fieri posset. Quod attinet ad *L. un. §. 5. C. de*
Rei Vxor. act. ibique allegatam, ob quam, uti refert SCHULTZ
 de *Oblat. C. 5. n. 26.* dissentit, ad illam ita respondet hic §. 5.
 de *dote*, cujus maritus est, dominus loquitur, sed depositarius non est
 dominus, adeoque quodammodo in rem suam quid impendisse non po-
 test dici, quare ex separatis male inferitur. At hic subscribere
 Au-

Auctori adducto, merito dubitamus, cum istiusmodi sumtus facere non debuisset; nam custodia rei depositæ ipsi tantum demandata est, & officio satis suo fecit, si rem eo, quo accepit statu, restituat: quod secus in necessariis, dum ex harum intermissione res plane interiisset. Limitandum hoc tamen, nisi voluntate deponentis has fecerit impensas, tunc etiam jus retentionis propter has quamvis utiles, ipsi concedendum v. g. quidam equum apud aliquem deposuit, & illum rogavit, ut proximis nundinis eum venderet, ac de ornatu prospiceret, quo pluri vendi posset; sed nihilominus emtores allicere haud potuit, tunc certe propter ornatum voluntate deponentis comparatum, si huius sumtum restituere recusaret, merito retentionem habet depositarius, quoniam impensæ in rem promercalem factæ utilibus annumerantur.

XXVI.

Satis quidem hæc essent de jure retentionis in deposito licito, quoad impensas; ast ne nostro excidere videamur, promisso §. 16. dato, binis ergo exemplis hoc confirmare volumus atque illustrare. Depositarius regulariter culpam tantummodo latam in re deposita custodienda præstare; contra deponentem ad culpam levissimam obligari, notum est. Quæritur ergo: an depositarius, si occasione depositi suscepti, damni quid passus est, usque ad refusionem hujusdamni jus retentionis habet? & respondetur: omnino; quoniam nemini suum officium debet esse damnosum, adeo, ut non inspiciatur, an deponens hoc vitium rei depositæ sciverit, an ignoraverit, ut expressis verbis dispositum reperitur in L. 61. §. 5. D. de Furt. Aequius enim est, eum damnnum ferre, cujus gratia contrahitur, quam illum qui plane nullum exinde sentit commodum, & qui justissime alle-

Propter damnum extraneum ex re deposita passum, depositario conceditur retentio.

allegare potest, se non fuisse id damnum passuram, si depositum non suscepisset. Conf. *ZOESIUS in Comment. ad Digest. Tit. Depos. n. 31.* Sit ergo casus: Titius apud Mævium bovem cornu petere solitum deponit, qui citra culpam Mævii stabulam effringit, ac necando diversa jumenta, ipsi magnum infert damnum; Sic Titio recusante, hoc pensare, Mævio ad resarciendum damnum, jure retentionis uti, permittendum; quicquid enim contrario judicio peti, id conventus directa actione retinere potest *L. 18. §. ult. D. Commodat. BRUNN, ad L. 23. D. Depositi.*

§. XXVII.

*Idem quoque
dicendum
est de se-
questro.*

Idem quoque in sequestro accidere posse, intrepide asserere audeamus, quandoquidem actio depositi contraria etiam utilis applicatur ad casum sequestri, si nempe sequester in rem sequestratam impensas facere, opus habuit. Sequestrum autem etiam quoad personas decerni posse, patet ex *c. 14. X. de Sponsal.* puta: si duo proci adsint; puellam ambientes, quorum uterque sibi ab illa matrimonium promissum præterdit; tunc optima est cautela, ne corporum commixtio cum alterutro contingat, illam, donec lis finita, apud honestam matronam in sequestrum dare, illiusque custodiæ committere, sicut peculiarem *Disput. de Feminarum sequestro HENRIC de COCCEJI, Francofurti habuit 1698.* Si itaque matrona ista ex suis bonis, virgini in sequestrum data, non tantum alimenta suppeditare debuisset, sed & insuper ejus culpa ipsi varia accessissent damna, tunc quaestio exurgit: an & huic jus retentionis ad suum consequendum sit indulgendum? Nemo putet, hanc quaestionem plane esse inutilem; quia in vernacula solemus dicere: *Wer wil gern ein fressend Unterpfund haben;* nam, quamvis lubentes largiamur, hunc casum rarissime esse exiturum, tamen existere posse, in dubium

bium vocari nequit. Arbitramur vero, & in hoc casu matronam jus retentionis obvertentem, esse audiendam, dum licet ista persona nihil haberet, unde solveret, & pro eius sententiam victricem reportans, etiam pro illa solvere nollet, posset eam ad operas oeconomicas aut ad alias res expediendas tam diu adhibere, donec se suo exsolverit debito. Quadrat hic exemplum pignoris, quod quis conferebatur, si aliquem ab hoste redemerat L. 43. S. 3. de Leg. I.

§. XXVIII.

Et sic nos nostro aliqua ex parte functos esse officio Conclasse speramus; quandoquidem omnes omnino casus, in quibus depositario jus retentionis concedendum, recensere, homini non datur. Tibi vero B. L. hunc laborem tanquam depositum committimus, h. e. non summum sed minimum benevolentiae erga nos ut retineas gradum, ita a te petimus, ut majori studio, magisque ex animo petere non possimus. DEO autem T. O. M. gratias agimus imortales pro auxilio praestito, eundemque supplices veneramur, ut porro nostris adspiret conaminibus clementissime.

T A N T V M!



POLITISSIMO NEC NON DOCTISSIMO
DN. DOCTORANDO,
AMICO SVO HAUD INFVCATO,
MEDVLLITVS GRATVLATVR
HODIERNOS CONSEQVENDOS HONORES
PRAESES,

Est id praeclarum, ac sua non defraudandum laude alicujus propositum, praestantissime Domine Candidate! ut non magis de acquirendis, quam retinendis bonis sit sollicitus; hinc Thema, quod Tibi ad Disputationem tuam inauguralem elegisti, ac summo elaborasti studio, se sua commendat utilitate quam maxime. Multos quidem de jure retentionis scripsisse, inficias ire non possum; ast quousque Depositario in re deposita hoc jus sit concedendum, ex professo, quod sciam, tractavit nemo, uti quo-

quoque videre est ex Bibliotheca Juridica
LIPENII, quam GOTTLOB AVGVST.
IENICHEN, Ictus & de Historia littera-
ria longe meritissimus auctam iterum edidit.
1736. Non igitur credo, fore, ut hicce tu-
us labor sit frustraneus aut ingratus; quin
potius ut judicaverit quisque, Te eo ipso ali-
quid effinxisse & excudisse, quod perpetuo
tuum, ac in quo jus retentionis etiam post
fata Tibi manebit salvum; nam monumenta
ingenii retinentur semper TACIT. Annal.
IV, C, 61, n. 2. Quare toto pectore Tibi
applaudo, quod hocce depositum orbi litterato
commiseris, & per hoc ostenderis simul, Te e-
xamine rigoroso exantlato, esse dignissimum,
cui summi in jure honores conferantur.
Gratulor quoque Tuo parenti Venerabili,
Theologiae Doctore famigeratissimo, ac in-
primis linguae sanctae callentissimo, Ver-
bi divini ad templum D. IACOBI ministro
vigilantissimo, Fautori & Amico meo longe
aestumatissimo, de filio sui tam aemulo,
non in eodem quidem genere scientiarum,
tamem in ardore de Reipublica bene merendi.
Faxit summum Numen, ut ille per longam
adhuc annorum seriem rebus intersit huma-
nis; Tibi autem Praestantissime Dn, Candi-
da-

date! Idem summum Numen velit porro esse
adjumento, ac tua conamina ad exoptatum
dirigere eventum, quo vota & fata sibi indi-
cem respondeant felicissime. Vale! & cave
memoria amoreque, Tibi excidat, qui tuis
inservire posse commodis cupit arden-
tissime. Dab. Rostochii d. 27.
April. 1741.



Rostock, Diss., 1739-41
X 237 3039



Pri. 15. April. 54.

12

1741, 4.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

RETENTIONE IN DEPOSITO LICITA

QVAM
CONSENSV MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA VARNIACA
SVB PRAESIDIO

DN. MATTHIAE BENONI HERING,
VR. VTR. DOCT. ATQVE PROF. COD. DVC.
PVBL. ORD. ET AD H. A. PRO-DECANI
FAVTORIS AC PROMOTORIS SVI MAXIME COLENDI
PRO LICENTIA

SVMMVM IN VTROQVE IVRE GRADVM
CAPESSENDI

DIE MAJI A. MDCCXLI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

GEORGIVS CHRISTOPHORVS
SCHOTTER
ROSTOCHIENSIS.



ROSTOCHII, LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI,
SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

